

- 1 De Pollice
2 Scientia et ignorantia incontinentie
3 De processu actionium moralium principio
4 An Aristoteles cognoverit creationem.
5 De lute quo homini homo in sermone obligatur
6 In periculum fl. Iosephi de Iesu Christo
7 De iniusto Pontii Pilati Iudicio
8 De gynacorata subsidiaria
De sermone Brutorum
De sterilitate mulierum
De morte in Undis
De Visu talparum
De Nomina b. atq; miseri b. Lupini
De Metallorum transmutatione
De expositione infantum
De Philautia.

EX LIBRIS
ILLVSTRISSIMI VIRI,
DN. DAN. LVDOLPHI,
LIB. BAR. de DANCKELMANN,
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILARIU
STATVS INTIMI, cetera,
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ
TESTAMENTO RELICTIS.

an 4

DE
JVRE QVO HOMI-
NI HOMO IN SERMONE
OBLIGATVR

EXERCITATIO PRIMA

QVAM

D. A. G.

PRAE SIDE

DN. HENRICO VFFELMANNO
PHILOS. MORAL. P. P. ORDINAR. DN. PRÆ-
CEPTORE AC FAVTORE SVO OMNI OB-
SERVANTIAE CVLTV ÆTERNVM
PROSEQYENDO

publicè tuebitur

SEBASTIAN - HENRICVS TRESCHOH
HILDES.

AD DIEM MARTII.

In Juleo Majori.

(2) : o : (2)

HELM AE STAD I,

Typis HENNINGI MULLERI Acad. Typ.

Anno cīc lcc LXVII.

DE JVRE,
QVO HOMINI HOMO IN
SERMONE OBLIGATVR.

C A P V T I.

- I. Amorem sui ipsius omni animantium generi à natura tributum esse.
- II. Soli homini desiderium colendæ societatis implantatum.
- III. Quanta sit vita socialis necesitas.
- IV. Ejusdem aptissimum instrumentum esse sermonem.

T H E S I S I.

Mn̄i animantium generi atque adeò homini in ipsis statim primordiis sui ad se ipsum amorem indidit insevitque benignissimus Universitatis Paren̄s, ita prorsus, ut sibi quisque melius esse malit, quām alteri. Hinc adeò sollicitè nosmet ipsos conservamus, omniaque quæ sint ad vivendum necessaria cupidissimè inquirimus & paramus; quæ vero nocitura videantur vehementer aversamur, eademque quām oxyssimè fugimus, ac maximā virium contentione propulsamus. Evidēt qui in mala scientes volentes ruunt, & ipsi sibi mortem consicēunt primam ex natura hanc habere appetitionem non videntur; veruntamen ambigi non possunt, quin & illi vel eā, quamvis pessimā, ratione optimè sibi consulere arbitrentur. Suis enim verò cupiditatibus litare,

& Sirenum cantibus aures præbere patulas suavius coquæ sibi melius opinantur, quæm inter Ulyssis agere socios, & obturatis auribus, à fumo procul & fluctu prohibere carinam. Qui quidem nisi mature ad frugem revocentur iisse irretiunt flagitiis, ut salvi esse non possint, si sani esse coeperint. Tandem violentas sibi inferre manus, acutisque & brevibus doloribus simul & semel confici multò satiùs esse ducunt. quæm furialibus malæ conscientiæ stimulis noctes atque dies pungi, terreri, exanimari, multisque domesticis & assiduis incommodis afflitum esse. Omnes adeò etiam qui scelere pascuntur sibi bene esse cupiunt, nihilque quicquam reperire licet, quod carius pensiusque sit homini, quæm ipse sibi. Nec tamen nobis solùm, sed cæteris quoque animantibus hic à natura instinctus est commendatus, ut se salvas in suo genere incolimesque maximè vellent, id quod experientia luculenter confirmat.

II. Quum verò ad longè excellentiorem finem destinatus sit homo, quæm cætera animalia, ideò alteram inclinationem seorsim ipsi induit inolevitque provida Natura, ut nempe conjunctionem sui similium vitæque societatem appeteret, legisque & juris ita particeps fieret.

III. Principiò autem infirmitatis nostræ magnam Naturæ Autor habuisse rationem videtur, quippe quæ vix in ullo alio animantium genere tanta est, quanta in homine recens nato. Nam simulatque editus in lucem & susceptus est, sic jacet tanquam omnino sine animo sit, solò vagitu vivere se indicat, vix diem unum vixurus, si adjumentis externis & adventitiis destitueretur. Et cæteris quidem animantibus ubi paulum firmitatis accesserit, continuò de pastu sibi propicere nōrunt, eundemque ubivis obvium inveniunt; solus homo, ut non paulò plus temporis, ita curam corporis longè majorem & institutionem vitæ laboriosam sanè, fidaque solici-

solicitudine plenissimam desiderat, ut progreidente ætate non tantum sciat, quâ ratione sibi rectè sit honesteque vivendum, quidque bonum Virum Patriæque amantem Civem deceat; verùm etiam ut ejusmodi aliquando se profiteatur & præstet.

IV. Sint igitur oportet ab inceunte adolescentia, quibus cum congregemur, quorum studiis & consiliis ea, quæ vel maxime necessaria sunt, expleta cumulataque habeamus, à quibus bene vivendi præcepta hauriamus; per quos denique, si quid nobis importetur incommodi, propulsimus, eosque qui nocere nobis conati sunt ulciscamur. Enimverò si quis extra societatem constitutus sit, qui, quæso, semet, non dicam ab injuria cœli & tempestatum, sed à bestijs, quin etiam ab homine alio propter naturalem soleritiam calliditatemque ferâ quâvis multò deteriore & perniciosiore tutum præstet? Egregiè Tullius II. Offic. *Vt magnas, inquit, utilitates adipisciuntur conspiratione hominum atq. consensu: sic nulla tam detestabilis pestis est, que non homini ab homine nascatur.* Quod ille breviūs, Aristoteles pluribus verbis ...unc in modum exponit I. Polit. c. II. sub fin. *Quemadmodum perfectum omnium animalium homo est: sic secretum à lege & justitia, pessimum omnium,* Horribilis enim maximè injustitia est, que armis est instructa. Homo autem armis munitus nascitur, prudentia & virtute (*δειρόντα γὰρ ἀγχίστοις intelligit*) quibus ad contrarias res utilicet maximè. Quare nibileb, si virtute vacet, potest esse sceleratus, nihil immanius, nihil ad libidinem & temperantiam abjectius. Conf. vii. Eth. c. VI. in fin. Aves uncos unguies habentes omnino non congregantur, teste Plinio Lib. I. cap. XIV. nat. histor. at istæ rapaces admodum & carnivoræ esse solent, ut sunt accipitres, vultures, aquilæ, & similes aliæ. Ejusmodi quoque futurus esset homo nisi lege societatis prohibetur. *Quod si enim sibi relictus arma ista, quæ ex Aristotele*

modo recensui, artifuerit, Deum immortalē! quas non ipse
turbas cicat, quām omni in vita supera cūm inferis infima cūm
summis misceat. Quot quantisque alii nullis præsidīis septi
afficerentur injuriis! Quid? quod nequidem extra vitæ so-
cietatem injuria locum habere potest, si quidem firmum fa-
tis esset, quod summo Viro H. Grotio autoritatem Cicero-
nis, Florentini lCti, & Seneca sequuto, aliisque nostri tempo-
ris Doctoribus clarissimis placere video, naturalem societatis
ordinatæ instructæque appetitum juris omnis originem, fon-
tem & fundamentum esse. Pro qua sententia sequentia af-
ferti possunt.

V. Principiō id concedendum fuerit, quod neminem
temerè latet, qui tantūm rudimenta Philosophiæ Moralis
depositus, nullam oriri posse injuriam, ubi nulla est juris com-
munio. Hoc concessō amplius id urgeri possit, jus esse vin-
culum societatis, neque extra illam consistere. Quod Stagi-
rita quintō Operis ad Nicomachum non semel inculcat, quan-
do omne jus æquale mediumque, juxta ac πρὸς ἔπειρα esse do-
cet. Etenim dum πρὸς ἔπειρα seu ad alium refertur, duæ mini-
mūm persona requiruntur; dum item medium est, duæ res
sint oportet, inter quas sit medium. Jam ubi vel duæ sunt
personæ, inter quas aut duæ res distribuuntur aut permutan-
tur, ibi est aliqua communio seu societas. Unde manifestum
esse videtur, jus non nisi in societate locum habere posse ī dē-
διαιστὴν πολιτῶν, ή γὰρ διην πολιτῶν κονομία τάξις ēst. Injustitia ve-
rè socialis est, jus enim civilis societatis ordo est, inquit Philoso-
phus i. Polit. c. II. sub fin. Ex quo illud necessariō sequi vi-
detur, quod probandum erat, extra vitam socialem nullum
esse jus, adeoque nullam existere posse injuriam. Quæ sanè
esset scatēbra fraudum, maleficiorum, scelerum omnium.
Nam si homo in hominem injurius esse non posset, omnia li-
cerent omnibus & cuivis integrum esset in alterum pro lu-
bitu

bitu sœvite; siquidem id vires ejus permitterent. Hanc verò Cyclopicam & beluinam esse vitam, etiam non sanus juret Orestes.

V. Cæterum hypothesis illa quæ probationi huic fundamenti loco substernitur, quod nempe status hominum extra societatem omnis juris sit expers, mihi quidem certè non usquequaque firma videtur, tum propter autoritatem Aristotelis i. Rhetor. c. xii. disertè afferentis, esse naturâ quoddam justum & injustum, κανονικαὶ νομιμα πρεστάς ἀληγόρεις, unde οὐδέ τινειαν si nulla de eo inter illos communicatio aut pactio intercesserit: tum, quod originem juris naturalis à conditione humanae naturæ sive à judicio & dictamine rectæ rationis facienda & omissa designantis rectius arcens posse credam, ut adeò præter cætera præceptum illud de non lædendo altero universim humanitatem seu vitâ humanam concernat, ipseque homo eō ipsō quod homo est citra respetum ad communitatem hōc inter alia iure & privilegiō meritò gaudere & frui debeat. Utut hæc sunt, neque sic ramen status hominum sine consociatione atque communitate satis commodus, imò verò miserrimus & beluinus nec humanus esset. Quamvis enim non cuivis liceret, quod libitum fuerit, impunè tamen id omne fieret. Dictat ratio facienda, ostenditque fugienda: sed quotusquisque ex solo præscripto rationis etiam in societate vivit? Constat sanè, neminem esse lædendum; at quænam, quæso, ratio expedienda solutis suppetat ei, qui virtibus est inferior? quis invasorem robustiorem vel coarguere, nedum justam ab ipso pœnam repetrere, ausit?

VII. Ista igitur gravissima sanè incommoda ut evitarentur, societate homini cavere voluit alma natura: eaque finitacitum quandam instinctum ipsi indidit, quo eō acriùs & alaciùs in illam ferretur, nihilque ei solitudine videtur

tur

tur tristius. Hinc à pueris & vix adhuc è gremio materno egressi delectamur æqualibus, libenterque nos cum his congregamus, & ad ludendum nos damus, quandoque etiam certamus. Postea ubi ex ephebis excessimus & adultiores facti ad res præclaras atque honestas animum appellimus, adeò à vita societate non abhorremus, ut nihil prius in votis habeamus, quām dextræ jungere dextram — ac veras audiare & reddere voces. Unde Diomedes nocte Trojanorum castra speculatum profecturus socium sibi adjungi voluit, ut est apud Homer. Iliad. X. Σὺν τῷ δύο ἔχουσίων duobus scilicet pariter euntibus: quō versiculō proverbii loco utuntur Aristoteles Lib. i. ix. ad Nicom. c. 1. §. 12. & Cicero in Epist. ad Varro. & Atticum l. ix. Senilis denique ætas quō infirmior est & ad infantilem imbecillitatem plus plusque indies vergit, cō magis vita sociō indiget, qui ministerium ei præbeat, & in actionibus subeundis defectum senilem suppleat. Quod argumenti satis est, homini, cuicuimodi ille sit, tum jucundam tum utilē & necessariam esse pacificam sui similiūm societatem.

VIII. Ex his verum esse intelligitur vulgatum illud quod Aristoteles noster i. Polit. c. ii. dicit, ὅτι ἀνθρωπός φύσει πολιτικὸν ξῶον, hominem naturā animal civile esse. Addit statim, si quis cā asperitate sit & immanitate naturæ, ut congressus societatemque hominum oderit, hunc bestiæ similem esse censendum, aut si fortè virtute ac sapientiā sic munitus sit, ut nullō egeat, suaque omnia in se ipso posita judicet, eum ex maximè raro hominum genere ac Heroa prorsus existimandum esse. Id enim, nī valdē fallor, sibi volunt verba illa: ὁ ἀνθρωπός φύει, καὶ εἰς τὸν οὐρανὸν ἐστιν, οὐ πειτίων, οὐ ἀνθρωπός.

IX. Atque hæc quidem sententia et si ab omni Sapientum choro uno ore jampridem est approbata, luxare tamen

men illam & convellere libitum est Thomæ Hobbio Malmesburyensi , libello , cuius inscriptio , *Elementa Philosophica de Cive c. I. n. 2.* & alibi. Sed non unus hic Viri cætera doctissimi error est , quem tamen , quod miror , non animadvertis Setho Wardo , notatus autem sed non refutatus à Francisco Julio Chopio ; quorum uterque ex professo in Hobbiū calamum strinxit , ille quidem in Exercitatione Epistolica , hic verò in *Philosophia Iuris vera*. Feliciter tamen id præstítēre Clarissimi Viri Petrus Gassendus in *Philosophia Epicuréa* tom. III. & Samuel Pufendorfius Element. Jurispr. Univ. I.II. Obs. III. §. 4. & 5. Quorum responsionibus meritò etiam acquiescit Dn. Ericus Mauritius J. U. D. & Tubingæ olim nunc Chilonii Professor longè celeberrimus in egregio Specim. Dissert. de princ. Juris Publici cap. IV. Sect. II. §. 22.

X. Ne longius à proposito digrediamur , audire juvat Aristotelem nostrum , qui loc. cit. ita philosophatur : ἔτει γάρ , ὡς Φαρεν , μάτιν ἢ φύσις μεῖ , λόγον δὲ μόνον ἀνθρώπῳ ἔχει τὸν ξών. Nihil equidem , ut loquimur , frustra facit natura : at sōli homini p̄a ceteris animalibus sermonem concescit. Scilicet ut hominum cœtus & obiri & celebrari commode possent , communione sermonis homines inter se junxit eadem natura , quō aptius humanæ societatis instrumentum est nullum. Hinc præclarè Cicero in aureo officiorum opere Lib. I. *Natura* , inquit , *virationis hominem conciliat homini & ad orationis & ad vita societatem*. Paulò post ait: *Eius (societatis) vinculum est ratio & oratio , quæ docendo , dicendo , communicando , disceptando , judicando , conciliat inter se homines , conjungitq. naturali quādam societate*. De altero igitur hoc societatis hominum inter ipsos & vitæ quasi communitatris instrumento , sermones scilicet , copiosè nunc agere , deliberatum est nobis.

B

CAP.

CAPUT II.

- I. Quid sermo sit?
- II. Quid inter sonum, vocem, & sermonem interficit?
- III. Quâ ratione aliis quoque signis aliquid significare & sensa animi exponere queamus.
- IV. Commodissimè tamen id fieri per sermonem.
- V. Eundemque ideò datum, ut communes & sociales utilitates expediremus.

THESES I.

Cum omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re insitudo à definitione profici sci debet, ut intelligatur quid sit id, de quo disputetur, iudice Cicerone loc. cit. placet, quoniam de sermone ejusque obligatione omnis disputatio est futura, ante definite, quid sit sermo, quid item, esse alteri obligatum. Principiò igitur sonum à voce, & hanc à sermone secerni ac eò accuratiùs internosci velim, quò frequentius vulgo tanquam similes inter se confunduntur. Sonus tamen inanimis, quam animatis convenit: nam & ventorum murmur, ac blandos aquarum susurros, suavissimos instrumentorum musicorum concentus, metallorum percussionses sonare ac resonare dicimus. Causa sonorum vulgo redditur elisio aëris, quæ sectionem ejus, divisionem, attenuationem quoque significat. Super quo multa Philosophus Lib. II. de Anima c. VIII. Franciscus tamen Baconius Baro de Verulamio, Sancti Albani Vice-Comes in Sylvia Sylv. sive Histor. Natur. Cent. II. p. 788. & seqq. edit. Francof. ad Mœnum Anno 1665. communem hanc sententiam impugnat, atque aliquot inter alia experimentis ostendere conatur, sonos sine adjumento aëris elicere posse. Quantquam verò non sanè nihil ad ista experimenta reponi possit;

hanc

Hanc tamen disputationem utpote Physicam modò nostram non faciemus. Illud minimè negandum videtur, commodissimum soni vehiculum esse aërem, per quem ille (quod obiter ex Themistii paraphrasi 2d. in libros Arist. de anima adnotarim) non illico sed gradatim ad aures defertur: nam proximus primum insonat aér, qui collitus & incussus prossilit & alterum sibi continuum agitat, arque iste subinde alium commovet, donec sonus circulatim quasi ad sensorium perveniat, non aliter, quām in stagno ex jactu lapidis plurimi statim nascuntur circuli à centro crescentes & ad littus usque interdum vagantes, nī loci interpellārit angustia. Porro autem soni sunt aut Musici, quos tonos vocamus, unde harmonia componitur; aut non-Musici, quā semper inæquales sunt, ut priores isti æquales, oriunturque ex percussis lapidibus, lignis, membranis, pellibus, tormentis, & infinitis aliis. De quibus multa digna scitu memorie prodidit illustris Baconus loc. cit.

II. Ut ad vocem veniamus, est illa species soni indequæ non malè fortassis à nobis finiatur, quod sit sonus articulatus, quo jucundum atque molestum significamus. Id verò fieri nequit, nī præsto sint vocis instrumenta: cujusmodi sunt, aspera arteria, palatum, lingua, labium, & dentes. Inde Hebræi literarum suarum distinctionem sumunt, easque in labiales, dentales, linguales, palatinas, & gutturales dividunt. Fit autem vox hunc ferè in modum: Pulmones cum maximè sint spongiosi facilè contrahuntur, & dilatantur, contracti aërem sursum propellunt per arteriam asperam sive guttur, eumque deferunt ad palatum, ubi tum sonus aliquis linguâ, dentibus, labiisq; articulatus redditur.

III. Boëtius in libr. de interpr. cum vocem attribuit animantibus, addit, illam etiam inanimatorum esse. Hoc verò est abuti vocabulō, cum inanima non nisi

ανθρώπων nuncupentur vocalia. Sonum dicere debuit.
Recte Stagirita II. de Anima c. VIII. §. 23. Vox est sonus quidam animati: inanimatorum enim nullum vocem edit; sed secundum similitudinem dicuntur vocem edere, ut tibia, & lyra. §. 28. ait, imo ne quidem quivis animalis sonus est vox; licet enim lingua sonum edere, ut qui tu si sunt — vox est sonus quidam molestum & iucundum significandi vim habens. Paucis interiectis subiungit, pisces in Acheloo flumine branchijs aut aliò aliquò ejusmodi instrumento sonum facere; ecquis vero pisibus vocem tribuat?

IV. Solis igitur animantibus vox competit: neque tamen cum haec sola ego nomino, omnibus continuo illam assigno. De piscibus enim modò dixi, quod vocis expertes sint, cuius ratio est, quod organa paulò superius à nobis commemorata illis desint. Sed & plura hujusmodi animantium genera enarrare in proclivi est. Insectis nulla vocis facultas; at sonus iis spiritu interiore movetur, quamvis non exteriore: nullum enim ex iis spirat, sed alia *κακαθοίγεσι* murmur edunt, ut perdices, alia canere dicuntur, ut cicadæ. Quæ porro cartilaginei sunt generis stridere quidem videntur, & sonum sive strepitum emittere, neutquam vero vocem. Quin delphinus, et si pulmonem & arteriam habet, vocem tamen non edit; quia labris & liberâ linguâ caret, quibus articulatam in vocem prorumpere queat: itaque tantum stridet ac mutat. Haec & similia alia prodit Aristotel, IV. Hist. Animal. c. IX.

V. Ex his constat, quid sonus à voce differat: latius videlicet patet sonus quam vox, omnis sonus est vox, sed non contra. Eadem ferè inter sonum & vocem est differentia. Quibus enim locutio, verba Philosophi denuò refero, iis etiam vox: as quibus vox non

non iis omnibus & locutio est. Qui surdi jam inde à nativitate
sunt, iidem etiam muti: vocem ergo emittere possunt; locutio-
nem autem nullam. Spectat huc illud Ciceronis ad Lucil. e-
pist. LXXVII. homo haberet vocem, sed quanto clariorem canes, a-
curiore aquila, graviorem tauri, dulciorum nobilioremq; lusci-
niæ. Sed & in Politicis Aristoteles noster vocem molestum &
jucundum solum significare; sermonem vero discrimen
insuper inter noxiū atque utile, justum & injustum, ho-
nestum & turpe explicare posse docet, indeque recte col-
igit, vocem aliis quoque animalibus, soli homini sermo-
nem, quod præcellat cæteris, convenire. Quid dici poterat
explicatus? L. Cœlius Lactantius Lib. de Ira Dei c.vii. et si
agnoscit solum hominem habere λόγον προφητείαν; quandam
ramen & in cæteris animantibus similitudinem ejus esse
vult: Nam & dignoscunt, inquit, invicem se vocibus, & cum
irascuntur, edunt sonum jurgio similem, &, cum se ex intervallo
vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem vo-
ces eorum videntur incondite, sicut illi fortassis nostra, sed ipsis,
qui se intelligunt, verba sunt: denig; in omni affectu certas vo-
ces notas exprimunt, quibus habitum mentis offendant. Parum
abest, quin veram bestiis sermocinationem tribuat Lactan-
tius, usque eò vocem illarum extollit. Nobis autem omnis
sermo est actio intellectualis, atque, ut Democritus & Epicurus ajebant, rationis flumen; quia, ut à fonte est flumen,
sic à rationis conceptu sit oratio, ratione quasi stillante in
linguam, ut ea, plectri instat, aëra percutiens, voces efformet
conceptuum, qui à ratione sunt, significativas, uti significan-
ter dicit multijugæ lectionis & stupendæ doctrinæ Vit Gerar-
dus Ioannes Vossius De Theol. Gentili Lib. IIII. c. XLIV. Suma-
ma igitur eorum, quæ haec tenus disputavimus, huic credit,
sonum tum animatis tum inanimatis competere; vocem a-

dimatis tantum: sermonem denique proprium esse humani
Generis.

VI. Forsttan quispiam dixerit: numne igitur picæ,
cornices, turdi, luscinia, psittaci &c. vocem humanam at-
que orationem miro naturæ artificio exprimunt, ut, nisi vi-
deas, hominem putes? De quibus multa nobis narrant Apulejus l. ii. Varro iii. de Re Rust. c. ix. Plinius lib. x. histor.
natur. c. xlii. Macrob. ii. Saturn. c. iv. & alii. Atqui, in-
quam, vox ibi est prætereaq. nihil. Ad veram enim locuti-
onem requiritur intelligentia, omnis namque oratio inte-
riori mentis conceptui respondere debet: At aves istæ *dans*
verè sine mente sonum, nihilque nisi quod didicerunt pro-
nunciant. Quare sermoni humano enuntiando aptæ non
sunt, sed vocem solam reddunt. De iis verò animantibus
quæ virtute superioris agentis in sonum prorupisse huma-
num tum in sanctis tum in profanis historiis memorantur.
Gen. iii. 1. Num. xxi. y. 28. 2. Petr. ii. 16. Plin. Lib. viii. Nat.
Hist. c. xxx. Livius iii. c. x. & Lib xxv. c. xxi. Nicephorus Lib.
ii Hist. Eccles. c. xxvii. quicquam annectere nihil attinet:
prodigiosa siquidem illa brutorum exempla non magis no-
stram infringunt sententiam, quam quod Muliebris For-
tunæ imago propè Romam bis locuta dicitur. Vide Livium
Lib. ii. Dionys. lib. viii. Valer. Max. Lib. i. Memorabil c.
viii. Rom. s. iv. Plut. in Coriolano August. IV. de Civit. Dei
c. xix. Laetant. Lib. ii. Instit. Quanquam nec dubium,
quin sæpius tum in Græcis, tum Romanis, annalibus ista fu-
erint commentitia. De quibus vid. ὁ πολυμάθετος Ger.
Joan. Voss. loc. cit.

VII. Si quis porrò urgeat, etiam brutis à natura esse
tributum, ut noxiū & utile percipiānt, cum cā fini se, vi-
tam, corpusque tueantur, nidos artificiosè construant, &
contra

Contra sc̄ris aliorumque injuriam, quantum possunt, muniant, omniaque quæcunque ad vivendum sunt necessaria sibi comparent: Ille responsum habeat, beluas id sine consideratione sine discursu, solum naturali instinctu facere; hominem verò ratione & consultò damnosum ab utili, malum à bono discernere, idque discrimen oratione explicare. Qua super re videndi sunt Interpretes ad d. Arist. loc.

VIII. Ceterum non sermone solo, sed aliis quoque signis alteri significare aliquid, animique nostri sensa appetere possumus: Atque illa vel *Naturalia* sunt vel *Voluntaria*. Evidem Ruvio 1. de Interpr. c. 1. quæst. 101. tertium signorum genus addit eorum scilicet, quæ ex consuetudine aliquid significant, ut, mappâ sternere mensam, quod signum esse solet cibi capiendi: sed causæ nihil video, cur non hujusmodi signa ad voluntaria referri queant, cum consuetudo sumatur & dependeat explicito & consensu utentium 1.1. Inst. Tit. 2. Naturalia autem voco quæ naturâ suâ citra institutum & arbitrium hominum per cognitionem suâ in alterius cognitionem nos deducunt. Voluntaria sunt, quæ tantum ex arbitrio institutoque & consensu hominum sive tacito sive expresso aliquid significant, nihilque cum re significata commune habent ipsâ naturâ. Superioris generis exempla sunt, quando ex subito rubore pudorem, ex pallorem, vel morbum, vel amorem, è fuga timorem acutè colligimus. Sub hac signorum classe continentur etiam quæ Physiognomici observârunt. Ut enim natura equo & leonifetas, caudam, aures, ita nobis os, frontem, oculos ad motus animorum declarandos dedit. *Animi imago vulnus est*, verba sunt Tullii Lib. III. de oratore c. LIX, indices oculari. Nam hac est una pars corporis, quæ, quod animi motus sunt, tot significaciones & commutationes possit efficere. Scilicet

male

— male permixto ludentia lumina visa
Blande sape solent ore racente loqui.

Prolixè & eruditè hac de re differunt Lævin. Lemnius lib. IV.
c vi. de occult. nat. mirac. Quintil. lib. xt. Instit. Orat. c. III.
Ludovicus Cressolius in Vacation. Autumnal. Camerarius
cent. I. Horat. Subcisiv. c. LVII. & cent. III. cap. LXXXI.

IX. Quorum verò signorum significatio à mero arbitratu, instituto, & consensu hominum dependet, ea sunt
hujusmodi. Toga olim apud Romanos pacis, sagum contra bellicum indumentum erat, vid. Erasm. II: cent. v. adag.
xxviii. Carol. Sigon. Lib. III. de Iudiciis c. xviii. Turneb.
I. VII. Advers. c. xx. C. Barth. tom. I. Adversat. Lib. xxxiv. c. IV.
Thraci solebant calculum diversi coloris sumere in capitibus sententiis ferendis. C. Plin. Lib. VII. c. XL. Quod quoque
aliis populis observatum, ut notissimum ex historia Alcibiadis, scribente Plutarcho in Apophthegmat. ipsius & Ælian. var. histor. I. XIII. c. XXXVIII. ad stipulante P. Ovid. I. XV.
metamorph. fab. I.

Mos erat antiquis niveis atrugi lapillis,
His damnare e eos, illis absolvere culpâ.
Conf. Ioh. Rosini Antiqu. Rom. Lib. x. v. ad cap. ix. Pa-
ralipom.

X. Tamerlanes bellicosissimus ille Scytharum Dux,
terror & clades Orientis, ut à Jovio appellatur, in obsidionibus urbium primâ die albô tentoriō usus fuit: secundâ
rubrō, tertiâ nigrō. Et albus quidem color obsessis gratiam & salutem promittebat, ruber verò patribus familiias
mortem; niger denique totius urbis excidium minitabatur. Joan Schrot. in Cosmogr. Hist. Paul. Jov. in Elog.
Viror. bello illustrium, Æneas Sylvius. Laonicus Annal.
Turcic. Dextram porrò omnium ferè popolorum suffragio sanctissimum fidei pignus censerî, illiusque virtute o-
mnem

minem veterum autoritatem constitisse, quis vel ex Plinio & Varrone non novit? Videor & super hanc re quipiam obser-
vasse in sacris II. Reg. x. 15. ubi de Iehu dicitur, quod Jeho-
nadabum filium Recabi occurrentem sibi & bene precan-
tem sic allocutus fuerit: *an inest cordi tuo rectum erga me,
quemadmodum animo meo erga animum tuum?* cui dicente Ieho-
nadabo, *est, si est, inquit, cedò manum tuam:* & ubi dedisset ma-
num suam, jussit eum descendere ad se in currum. Manibus,
inquit Fabius, poscimus, pollicemur, vocamus, dimitti-
mus, minamur, supplicamus, abominamur, timemus, in-
terrogamus, negamus, gaudium, tristitiam, dubitationem,
confessionem, poenitentiam, modum, copiam, tempus o-
stendimus. Novi ego mutum quandam, qui digitis tam
convenienter cum familiaribus & servo suo loqui solebat,
ut ipse illorum hi ipsius mentem optimè intelligerent. Quin
& nutibus tale fieri solet indicium, quibus pares sunt nota illae,
qua non voces lingua figuratas significant, ut Paulus ICtus loqui-
tur, sed res ipsas, sive ex aliqua convenientia, ut nota hierogly-
phica, sive merò arbitrari, ut apud Sinenses. Hugo Grotius de
I.B. & Pac. Lib. III. c. I. §. VIII.

IX. Quanquam igitur his & talibus signis animi sen-
sa aliis indicare possumus; aptissimum tamen, nobilissimum,
ac efficacissimum significandi aliquid instrumentum, &
quasi nuncium ac portitorum animi esse sermonem, nem o,
ut opinor, est, quin existimet. Et quidem cum homines ho-
minum causâ sint generati, ut ipsi inter se alii aliis prodesse
possent, quemadmodum ex C. I. recognoscere datur, satis
quoque persuasum esse debet, non alio fine sermonem no-
bis esse à natura tributum, quam ut nostra desideria invicem
communicemus, atque isto pacto communes & sociales u-
tilitates expediamus. Indicasse hoc & voluisse videtur ma-
gnus Christi Apostolus, qui cum Ephesios c. IV. §. 25. ad

C

men-

mendacium vitandum, & veritatem contra in vita & ser-
mone constantissimè referendam adhortatus fuisset, hanc
statim subjungit rationem: ὅτι ἐσμὲν αὐτοῖς μέλη, nam su-
mus alii aliorum membra. Quid igitur tandem, inquies, est
Sermo? quid, inquam, aliud, quam vox articulata
mentis humanæ conceptus alteri denuncians
ad colendam & conservandam hominum in-
ter homines societatem. Id antē quam huic Ca-
piti impingam umbilicum, notari velim, per sermonem
hōc locō mē non tantum orationem ore proferri solitam;
sed scripturam quoque intelligere, perinde ut λόγῳ apud
Græcos accipi consuevit. Etenim ut sermonis imago ac sym-
bolum est scriptura, ita eandem prorsus significandi vim &
rationem obtinet, adeò, ut quæ de sermone deinceps dicam,
de literis quoque intelligi queant & debeat.

C A P V T III.

- I. Quid vocetur & sit obligatio?
- II. Obligatio alia Naturalis, alia Civilis, alia Mixta.
- III. De sola Naturali institutam esse hanc tra-
ditionem.
- IV. Cujusmodi sit jus illud, quod ē sermone nascitur.
- V. Vnde arcessi debeat. Gratii locus explicatus.

T H E S I S I.

PRIusquam rei ipsi immergamur, explanandū adhuc, quid
sit, esse alteri obligatum, & cujusmodi sit jus illud quod ē
sermone nascitur: qua de re hoc capite nobis est explicandū.
Obligatio definitur à Justiniano, quod sit vinculū ju-
ris, quod necessitate astringimur alicujus rei sol-
ven-

Vendæ seu præstandæ, Instit. Tit. xiv. de Oblig. l. i. Addit Imperator hæc verba, secundū nos trā civitatis jura, quæ tamen, cū definitionem reddere videantur angustiorem, ita ut civilis vel mixta tantum obligatio contineatur, rectius omittuntur. Enimvero obligatio generatim sumpta dispesci à Ictis solet in Naturalem, Civilēm, & Mixtam. Naturalis est omnium hominum adversus quoslibet homines, quæ tales, per quam ab ipso Naturæ Autore obligamur ad præstandum id, quod alteri est debitum, ita tamen ut nulla inde alteri oriatur actio, jure Civili. Referre huc solent quidam Iuris Interpp. illa, quæ naturalis æquitas, & pudor suadent, ut fiant, ne quæ sine degeneris animi nota omitti possint, quamvis non verè debita, ut vicem beneficio rependere, legata integra sine detractione Falcidiæ præstare, solvere debitum, quō quis in pœnam Creditoris erat liberatus, quæ omnia cessare faciunt conditionem indebiti. Verum enim verò hæc & talia per abusionem ad naturalem obligationem referri, jamdudum annotatum magno Hugoni Lib. II. de I. B. & Pac. c. xiv. §. vi. Quid? quod ne quidem obligationis vocabulum illis restè tribui potest. Nulla si quidem obligatio est, quæ aliquem necessitate non adstringit, ut ex definitione obligationis liquet. Iam qui beneficium in alterum confert, nullam illi necessitatē paris refrendæ gratiæ imponit; aliter namque beneficium non esset. Abest nempe, necessitas illa aliquando ex facto hominis, si obligatio in arbitrium & liberam voluntatem alterius fuerit collata: dum enim vinculum nullum inducit l. 8. de O. & A. l. 7. pr. 11. de contr. emt. Atque hæc quidem his verbis celebris ille Ictus & Academiæ Gissensis hodie Cancellerius Dn. Johan. Otto Tabor, qui istam de obligationibus doctrinam accuratissime, si quisquam inter recentiores, pertractavit in Partition. Elementar. Part. III. Sect. III.

II. Nec porrò audiendi sunt qui naturalem obligatiōnem duplē faciunt, unam, quæ sit ex jure gentium & humani generis propria; alteram, quæ sit ex jure naturali omnium animantium communis. & in bruta quoque cadat. Arnold. Vinn. Comment. in Instit. Lib. III. Tit. XIV. §. 5. Scilicet quām bene lex naturalis in bruta cadere dicitur, tam bellè iisdem obligatio ex lege illa profluens tribuitur. Sed id alio loco fortassis tractabimus: Eruditè autem jam rūm controversialiam istam expedivit Seidenus Vir non Ebræi solum sed omnis humani & divini Juris scientissimus de Jur. Nat. & Gent. Lib. I. c. V. & VI. quem qui attente legerit, amplius quod desideret vix habebit. Alios Autores, qui hoc argumentum occuparunt, magnō numerō adduxit supra laudatus Dn. Ericus Mauritius Spec. Dissert. de princ. Juris P. c. IV. §. X.

III. Venio ad obligationem merē Civilem, quæ sola juris subtilitate nititur sine aliqua evidente honestatis & æquitatis ratione actionem quidē producens, sed quæ jure Prætoriō infirmetur oppositā perpetuā exceptione. Vid. subtilissimi Baehov. disp. 8. de action. th. 36. Hoc autem obligationis genus propemodum sine re esse, & vix nomen obligationis tueri posse, Dd. ajunt. Audiamus verò judicium hac de re Dni Taboris. Tametsi, inquit ille, obligationē civilem ita considerat am pro nulla quis habere potius queat, cum finem suum non consequatur, actione, quæ ex illa concipitur, confessim elidenda; Attamen si formam obligationis absolute & naturalitatem actionis exinde descendenter respiciamus, nomen obligationis tantisper ipsi denegandum non videtur per text. add. cum exceptione facti sit & ex eventu oppositionis pendeat. Ita consignantissime Tabor d. loc. §. 23.

IV. Mixta denique obligatio dicitur, quæ non ex merō naturali jure, sed ex Civili etiam procedit, adeoque utrumque vincit

vinculum æquitatis & utilitatis comprehendit ; actio
nemque efficacem producit. Hanc solam propriè & ab
soluto obligationem ICtis vocari, ad eamque tantum & de-
finitiones & divisiones titulò de obligatione propositas per-
tinere, idem Vinnius (qui Donelli epitomator audit) loc. cit.
docet. Disserit hæc obligatio à naturali in eo præcipue quod
ex hac in foro actio nascatur, ex illa non item. Unde duo tan-
tum obligationum genera à nonnullis constituuntur, quarū
altera naturalis, altera civilis dicatur : neque enim videntur
satis causæ videre, cur non mixta illa Civilis quoque appell-
ari queat. Imò disertè ita vocatur l. 7. §. 2. de pact. l. 16.
§. 13. de fidejuss.

V. De Civili autem modo plus verborum non facie-
mus, neque omnino facere debemus, sed eam ICtis enucle-
andam & exquirendam relinquentes intra obligationis na-
turalis fines nos continebimus, ne in messem aliorum fal-
cem nostram immittamus.

VI. Dicimus ergo è sermone nasci obligationem na-
turem, quæ sciendi jus de alteri qui cum agimus. Illustris
Hugo Lib. III. de l. B. & Pac. c. I. §. XL. istud jus quasi à pacto
quoddam tacito arcessit. Sed nihil opus est hæc fictione, quan-
do ipsa natura tale sciendi jus cuivis tribuit. Hæc enim vult,
ut communi utilitati serviatur, quod tamē fieri haut potest,
nisi præsto sint mutuæ voluntatis indicia, & alter alterius
desideria intelligat. Quare ut cuivis significandi, ita pa-
riter & sciendi jus omnibus deditse natura meritò cen-
setur.

VII. Laudatus Hugo loc. cit. jus illud in judicandi li-
bertate collocat, quam homines colloquentes his quibus
colloquuntur debeant. Quid verò illa libertas denotet
Grotio, non satis se capere profiteretur Cl. Caspar Zieglerus
in Notis, quas publicæ nuper luci exposuit. Potest, in-

quit, ille, qui cum colloquium est, ex pravo affectu & dissidentia
etiam perspicua proferentis verba in contrarium planè sensum
accipere, idg. jure, si jus istud in judicandi libertate consitit.
Existimaverim ego, Grotium hoc sibi velle, quemlibet, ad
quem sermo est, habere potestatem alterius mentem & ani-
mi sententiam ex istius verbis intelligendi & judicandi. Quæ
tamen potestas seu libertas non hoc denotat, ac si quilibet
pro lubitu, quem velit, sensum alterius verbis affingere, imò
in contrarium planè sensum illa detorquere meritò possit:
minimegentium: nam libertas illa non est absoluta, sed
vel maximè restricta ad verborum significatum receptum &
ejusdem linguae hominibus noem atque usitatum. Consi-
deranda insuper mens & intentio proferentis, quæ vel è ra-
tione, quæ ipse ad talia proferenda fuit inductus, vel ex aliis
circumstantiis colligitur. De quo alias. Quod si quis ver-
ba proferentis contra ejus mentem certis rationibus colle-
ctam contraque communem loquendi consuetudinem ex
pravo affectu & dissidentia interpretetur, is manifestò abuti-
tur suâ judicandi libertate, adeoque neutiquam id jure facit.

CAPUT IV.

- I. Leges naturæ de recto sermonis usu, quarum pri-
ma & fundamentalis est: *De non turbando
tranquillitate publica.* Ex qua sequitur
- II. *De non violando jure alterius.* Ex hac
- III. *De non diffamando.*

THEISIS I.

EQuibus ita præmunitis hæc fundamentalis naturæ lex, è
qua reliquæ omnes, quæ quidem nostri sunt argumenti,
deduci possunt, emergit: Sermone quisque suo ad
communem utilitatem uti, idque sedulò cave-
re de-

re debet, ne ex illo quicquam detrimenti capiat
tranquillitas & salus publica. Cum enim natura
impellente ad socialem vitam agendam quisque sera-
tur, non tam ut sibi optimè prospiciat, quam ut com-
munem salutem pro virili promoveat, cumque eum in fi-
nem soli inter animantia homini sermo sit concessus, ut su-
perioribus Capp. ostendimus, facile intelligitur, ita eū adhi-
bendū esse, ut ne principali Naturae intentioni contraveniat.

II. Ex ista verò fundamentali lege promanat hæc ge-
neralis: Ne quis sermone suo jus alterius violet,
neve ipsi justam querelarum causam præbeat.

Ut enim tranquillitas & salus publica sarta tecta conser-
etur, tollenda est omnis dissidiorum causa, cuiusmodi citra
dubium est, si alteri præter meritum ægrè fiat; fit autem, si
jus ejus temerè violetur. Per jus hoc loco intelligimus non
solam sciendi potestatem colloquentibus debitam, sed ge-
neratim omnem facultatem abs quovis homine fruendi of-
ficiis ex jure naturæ debitiss, cæterisque privilegiis, quæ hu-
manitati seu humano generi universè sunt concessa.

III. Ex generali porrò illa consequuntur aliæ, quas
& recensēbimus & bene multis illustrabimus. Quæ silon-
gior fuerit oratio cum magnitudine utilitatis comparetur,
ira forrassis etiam brevior videbitur. Prima autem hoc vult,
Ne quaque famæ, honori, aut existimationi
alicujus esse detrahendum. Aut enim hoc est jus alte-
rius violare, aut quid aliæ sit, fateor me ignorare. Certe e-
nim æquæ in famâ quam in vitam jus perfectum habemus: neq;
solùm naturæ lege prohibentur quæ corpus lædunt; verum
etiam quæ animū graviter affligunt. At qui, si res est ulla, quæ
nos

nos vehementissimè sollicitat, profectò calumnia est, cuius unius morsus longè sunt acerrimi, eoque altius penetrant, quò generosior est animus. Meminimus vitam & famam eòdem locò haberi, hujusq; integritate nos estimari apud eos præcipue, quibus propriùs non innotuimus. Neque etiam nescii sumus, famæ jactura si facta sit, aditum nobis ad pleraque vitæ Civilis commoda præclusum esse. Nihil autem, ut rectè pro Plancio Tullius ait, tam volucre est, quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius dissipatur. Quàm igitur ægrè fiat illi, qui calumniando sceleratè imperitur, satis inde, nî fallor, adparet: cuius necessarium consequens est dissidium, quò ipsa tandem societatis fundamenta labefactantur.

IV. Ita esse probamus hunc in modum: Calumnia dissolvit amicitiam. E. calumnia tollit convictum hominum & societatem. Antecedens illud à nemine facile negatum iri existimamus. Connexionem verò sic demonstramus: Quicquid dissolvit vinculum societatis, id ipsam necessariò societatem funditus evertit. A. Omne id, quod dissolvit amicitiam, dissolvit vinculum societatis. E. quicquid dissolvit amicitiam, id ipsam quoque societatem funditus evertit. Minor(nam major merò meridie clarius est) facile probari potest, modò expendantur descriptiones societatis & amicitiæ. Illa est, unum quid constans ex pluribus hominibus ad commune bonum tendentibus: Hanc ex Aristotele definire licet, quòd sit, benevolentia mutua non latens propter aliquid eorum, quæ sunt amabilia. Per Benivolentiam intelligit Aristoteles talem affectum, quò quis alteri bene cupit, & benefacit ipsius illius causâ. Iam qui sic inter se affecti sunt illi maximè cohabitare, unà esse & res rationes que conjungere desiderant. Inde nunc infero hunc in modum: Quode, tollit id, quo Societas maximè una est, id dissolvit

solvit vinculum societatis. A. quicquid dissolvit amicitiam tollit id, quô maximè societas est una. E. quicquid dissolvit amicitiam, idem dissolvit vinculum societatis.

V. Huc insuper meritò transfertur generale illud naturæ præceptum, *Quod tibi fieri nolis, alterine feceris.* Quis autem, amabo, tam omisi & abjecti est animi, ut se contemni & ludibrio haberi velit? *Quis adeò famæ prodigus & crudelis in suos, qui se infamia adspergi patiatur?* Restè Historiorum prudentissimus Tacitus Annal. I. iv. *Vnum est, inquit, insatiabiliter parandum, prospera sui memoria: nam contemptu fama contemnuntur virtutes.* Cui consentit gravissimus Autor Plutarchus in Alcibiade, *Contemptio boni nominis virtutum est cum impudentia & insanìa quadam conjunctum.*

VI. Non una itaque ratione in legem naturæ peccat maledicus convicator. Sed & in sacro animadvertere datur eloquio, *obrectatorem homicidii reum esse;* nullum autem homicidam habere vitam aeternam in se manentem; Et verò non sine causa hujusmodi scurra virulentus appellatur homicida. Calumniis enim & impropriis tanquam acutis & altè penetrantibus mucronibus, quâ clam, quâ palam, directè & obliquè innocentis sauciatis, neque quicquam intentatum relinquit, quò vel miseram vel brevem reddat vitam ipsorum. Atqui hîc illud Ennii, verbò tantum immutato, usurpare possumus:

Quem calumniantur, oderunt,

Quem quisq[ue] edit, periisse experit.

Quare dubium esse potest nullum, detractorem coram DEO homicidam esse; quippe qui non malefacta tantum, quin etiam animum & voluntatem malefaciendi respicit. *Quod quidem fusiùs nunc explicare nolo, ne si ulterius fuero progressus, videar fortè extös xp̄s ḥ̄x̄d̄q.*

D

VII.

VII. Id ipsum porrò jure populorum omnium, certe
moratorium, constitutum est, ne scilicet liceret alios per-
ficiantissimā consecrari lingua. Archiloche libros ob dicaci-
tatem solam & ingenii virulentiam à Lacedaemoniis urbe
suā interdictos accepimus, ne illorum lectione quipiam
de veneno honestis illorum moribus instillaretur. Mirum
verò Athenis olim festum quoddam fuisse, cui nomen *spina*,
in quo jus erat disteriis in alios ludere, ut ex Hesychio nar-
rat Erasmus *Chiliad.* iv. Cent. vi. Adag. xcvi. Quanquam
gravissimas quoque poenas in calumniatores constitutas fu-
isse legimus. Nam vel *ndwma* inurebatur fronti, vel ad pa-
lum deligabantur, ut omnibus ludibrio perpetuumque in-
fames essent: interdum etiam supremo supplicio afficieban-
tur, referente Pulluce lib. viii. Veteri Jure Romano
in hos calumniatores lata erat lex Remnia (cujus etiam Tullius
meminit pro Rosc. Amer.) ut qui crimen intenderet,
quod probare non posset, poenam ferret illam, quam reus
convictus sustinere debuisset. Hanc L. severè exercuit Marc.
Antoninus Philosophus, Imperator Optimus. Vid. Lib. vi.
Polit. Arist. c. v. & quæ ad illum locum eruditè more suo
annotavit Clariss. Piccart. Neque verò probandum, quod
Tiberius, Suetoniō teste, dicere solebat, in Civitate liber-
linguam quoque liberam esse debere. Quod dictum Octa-
viano quoque tribuit Suetonius. Imo verò laudanda est
Memnonis generositas, qui ne hostem quidem conviciis
incessi permisit. Cum enim (ut est apud Plutarch. in apo-
phth.) quo tempore bellum gerebatur adversus Alexandrum
pro Dario Rege, militem quendam mercenarium multa
convicia petulanter jacientem in Alexandrum audisset, ha-
stā eum pereussit, Ego, inquiens, te a lo ut pugnes adversus
Alexandrum, non ut illi maledicas,

VIII.

VIII. Nullò igitur modò in bene constituta Republ.
toleranda est pessima ista linguae procacitas, à qua Veteres
Legumlatores prudenter sane Cives absterruerunt. Atque
ita omnino faciendum esse Philosophorum Princeps loco,
quem modò adduximus, docet. Ejus Præceptor sub finem
Lib.i. de Li.talem legem sancivit: *Nemo cuiquam convicator*
Qui verò cum aliquo aliqua de re discepit, discito potius & do-
ceto tum eum, qui cum illi controversia est, tum præsentes; à maledictis autem prorsus abstineto. Addit hanc rationem: *Cum enim sibi in vicem verbis turpibus maledicunt, muliebres habentur: & in primis ex verbis, quæ certè levissimæ res est, odi a gra-*
vissima, & inimicitia sapè nascuntur.

IX. In primis autem provideatis, qui clavum impe-
rii tenet, ne dipteris lacescat inferiores atque adeo nec Vi-
ros autoritate pollentes, quique Rem publicam ope & con-
silio juvare possunt, vel de illa jam tum præclarè sunt meriti.
Contumeliam enim pestem esse Reipubl. egregiè ostendit
Stagirita Lib.v. Polit. c.iii. & x. Cum verò iθες contumelia
vel factio vel verbis inferatur, non minùs ista (qua de nunc
tantum ex professo agimus) quam illa contentionem omni fu-
gienda est. Constat enim maledictis quam malefactis gra-
viùs generosos animos lædi, difficiliusque ab illis contu-
meliam perferti, quam damnum. Viro prudenti, inquit Peri-
cles in Orat.funebri apud Thucydiden lib.ii. durior est publi-
ca contumelia ignominiae comes, quam mors cum publica laude
conjuncta. Ob haec rem Carolus Borbonius Galliæ Con-
nestabilius frequenter in ore habuit (ut refert Ferranus Lib.
VII. de rebus gestis Gallorum) Aquitani cujusdam scitum
responsum, qui rogatus à Carolo vñ Rege Galliæ, quō tan-
dem præmiò impelli posset, ut fidem sibi tot magnis rebus
perspectam falleret? Non tuò, inquit, Regnò, non orbis impe-
rio

riō adduci ad id possum, non omnium iherosauis : contumelias tamen
& stomachosā injuria possum. Conf. Dn. Camer. Opere Hor.
Subeis. Part. I.C. III. At qui hujus dicti sententiam Borbonius
factō ipsō comprobavit. Cum enim aliquando cum Franci-
scō I animoso magis quam felici Gallorum Rege, pilā ma-
nuariā certaret, & multis sannis à concubina Regis, Mada-
me Des Estampes dicta, exciperetur, tacere scortum istud
ignominiosō vocabulō jussit. Franciscus injuriam (sic e-
nim interpretabatur) amasæ illatam suam reputans Borbo-
nio colaphum infringit. Ibi verò usque eō commotus est
generosus Princeps, ut in Imperatoris Caroli V. partes sta-
tim concederet, magno ac irreparabili Galliæ damno.

X. Eandem, si non majorem, Italiae cladem contu-
meliā suā intulit uxor Justinii II. Sophia, procax & temeraria
mulier : quæ Narsetem egregiō armorum usu & rebus
contra Gothas prosperè gestis inlytum Ducem hōc scom-
mate revocari curavit, daturam se illi convenientius in au-
la munus, nempe, ut lanas carpat, & telam in gynæcēo te-
xat (falsō ei exprobans mollitiem, quod Eunuchus esset)
Ego verò, respondit ille, telam exordiar, quam nec i-
psa, nec effeminatus ejus maritus retexere possint. Quod
sanè vocatis in Italiā Longobardis satis superquæ p̄st̄
stitit.

XI. Cui porrò non est audita GEVSIORVM appelle-
ratio? quō dicterii genere avorum memoriæ Belgii Ordines
Margarethæ Parmensi supplicem libellum pro libertate
conservanda offerentes, excepti fuerunt. Barlomontius
scilicet vehementissimè in illos infestus contemprim mo-
nuit Parmensem, non esse, cur ab hujusmodi nebulonibus
Abi metueret: nam omnes aut habitu aut re mendicos esse
& Vallonum lingua GEVSIOS. Ex quo dicterio invaluit
postea

postea ut, qui Hugonoti apud Gallos, in Belgio GEVSII appellarentur. Attamen, quid hæc contumeliæ profecerint Hispani, docuit eventus omnibus, ut puto, notissimus. Ab hoc igitur crimine aberunt illi qui Rempubl. tuebuntur: sic magnam ipsi adipiscerentur & gratiam & gloriam.

XII. Quo autem arctius Imperantibus parentes sunt devincti, eò majorem hi adhibebunt cautionem, ne male de illis loquantur. Iste enim bifariam injurii sunt, tum, quod petulantissimæ loquacitati indulgent, quod per se turpissimum & injustissimum est, tum, quod Magistratum conviciis proscindunt, quem vereri eos & contra effrenatam aliorum maledicentiam defendere parerat. Sed & abundè suppetit Magistratu, quò maledicos conviciatores coerceat. Evidem Philippum Macedonem, Antigonom, Pyrrhum, Periclem, Augustum, pluresque alios accepimus, qui malevolentissimas etiam obrectationes superne despexerunt: sed generosè magis, quam cautè. *Principibus enim præcipua rerum ad famam dirigenda sunt*, ut prudenter monet Tacitus Annal. v. 20. 2. Quæ si negligatur, contemptio oritur; contemptio, (ea præcipue quam impunitatis spes alit) seditionum ac motuum illecebra est maxima. Quamobrem Ramirus Hispanorum Rex etsi mirè probus fuit, & moribus simplex: tamen cum se eam ob rem irrisui Aulicis esse & diceret identidem peti audiret, ad extremum exarsit, & undecim Viros nobiles ad se vocatos in Osca urbe gladio percutì jussit, additò dictō, nescit vulpecula cum quo ludat Roder. Sanct. Histor. Part. III. c. xxx. Reipsa scilicet ostendit, periculosem valde τὸ λέοντα νύστεν λεονem vellicare. J. Lips. Polit. Lib. II. c. xviii. §. 15. Sed hæc πολιτιώτηρα.

XIII. Longiores hōc locō sumus, quam fortassis necesse est. Itaque hoc tantum addimus, fugiendam esse (quid

enim vetat Aristotelico more præmissis rationibus subjun-
gere ~~τα πάνερ~~) rabiosam maledicentiam , quæ Naturali,
Gentium, Divino, & Humano Juri è diametro repugnat,
& sæpenumero ad calumniatorum ignominiam perniciem-
que redundat sempiternam. Fuit Medius quidam ex Ale-
xandri adulatoribus, ac velut hexarchus & sophistes cory-
phæus in optimum quemque. Hic alios horribatur, calu-
mnia in quemvis audacter conflarent : Nam etiamsi, in-
quit, vulnus personarit, in quem mortum infixeris, nihil
minus cicatricosus convisetur locus. Lud. Cæl. Rhodigin.
Lect. Antiqu. Libro quintodec. c. xxv. O sycophantam
pessimum, dignumque, cuius fronti (quando cicatricibus
adè impensè delectatus fuit) nigrum & candenti stylo in-
scriptum esset, ut eō admoniti incautiores, istiusmodi ne-
bulonis consortium fugerent. Quid, quæso, tam inhu-
num, tam turpe, tam sceleratum & nefarium, quæm ser-
monem à natura ad salutem hominum & ad conservatio-
nem societatis datum ad aliorum pestem convertere ? Eu-
ripidem narrat Stobæus Cap. xxxix cum illi quidam oris fœ-
torem reprobrasset, respondisse, mirum id tibi videri non
debet, cum in hoc ore tanta multa computruerint arcana.
Neutquam gravis hic fœtor videri potuit: at nî olet gra-
vius, quæm maledici oris mephitis virulenta, quæ cujusque
famæteterimi veneni luridam tabem affigit. Quapropter
expurgandæ sunt graveolentes oris fôrdes, quando fœtens
sermo putridæ mentis est indicium.

XIV. Possem hòc quoque loco in modernam crimi-
nandi consuetudinem, ne dicam diabolicam insaniam,
vehementer invehi, nî vererer, ne de me ipso aliquid vide-
ter queri. Illud adhuc ~~ως οι μεριδαί~~ monendum, fugiendos
esse non solum lingua prurientes sed & auribus: qui inquam
ipsi

ipſi quidem aliis non detrahunt; detrahentibus tamen ſeſe
libenter affocant, iisque aures commodant patulas & vel
geſtū, vel motu, vel tacendo vel connivendo calumniato-
ribus ſubſcribunt. Quod imprudentes ſi faciunt, negligen-
tiæ eſt; ſin ſcientes, malitiæ. Domitianus (ut eſt apud
Suetonium & Tacitum) cum homines mordaces haberet
odio, ſempertamen eos dicere solebat peiores eſſe, qui ma-
ledicis aures præberent patulas, neq; reprehenderent, quām
iſpos maledicos. Quanquam hoc ab impio Imperatore di-
citur, luculentē tamen dicitur. Cum detrahentibus, inquit
Salomon, ne miſcearis, quoniam repente veniet perditio eo-
rum, & ruinam utriusq; quis novit? Quapropter & id genus
hominum ſerio avertemur; contra verō cujusque honori,
arque existimationi ubique quā publicè quā privatim studi-
osè velificemur, ab iſdemque criminaciones quoad po-
timus, depellamus.

CAPUT V.

- I. Verum candidè fatendum, neminemque fallen-
dum eſſe.
- II. Non dicendum falſum testimonium.
- III. De Iurejurando, quanta ejus vis fit.

THESES I.

PROXIMUM NUNCE eſt, ut de altero juris naturæ præcepto,
quod ex generali illo. f. r. Cap. præced. proposito, ple-
no alveo fluit, verba faciamus. Illud igitur ira habet:
Quilibet alteri, cui sciendi jus eſt, verum libere
& ſine fuco fateatur, neminemque ſermone
ſuō in fraudem illiciat. Quod ſi enim quispiam
ſenſa

sensa animi non indicaverit candidè ei, qui illa intelligendi
jus habet, vel sermone suo alterum induxit & decepit,
manifestò is delinquit in legē illam fundamentalem, quam
loco cit. exposuimus. Petulanter siquidem jus alterius vi-
olat, ipsique damnum præter meritum infert, adeoque ju-
lam querelarum causam præbet.

II. Quibus autem illud sciendi jus competit, & qui-
bus quid dicere, quod falsam habeat significationem, lege
naturæ prohibeamur, nunc explanabimus. In universum
igitur dicimus, istud jus cuivis esse, qui rationis usu prædi-
tus est, quo cum agimus, & cujus interest, ut sermonem su-
um rectè percipiat. Ex hoc jure, siquidem illud maneat ac
subsistat eō tempore, quō sermo fit, neque ex alio jure su-
perveniente tollatur, (quod quidem fieri posse postea ostendemus) nascitur obligatio mentem nostram alteri candidè
& sincerè indicandi.

III. Cæterū is, qui cum agimus, est vel Superior,
vel inferior, vel æqualis. Sit itaque assertio nostra, quam è
priori naturæ lege colligimus, talis: Quilibet à Superi-
ore, in primis verò à Magistratu, seriò interro-
gatus & vel maximè si jusjurandum delatum
& præstitum sit, id quod res est sine fupo, sine
ulla æquivocatione, & tergiversatione candi-
dè & bonâ fide fateri debet. Nam & ille jus ha-
bet veritatem indagandi, & quivis parentium obligatus est
ei legitimè præcipienti morem gerere: eoque magis, quòd
illa ad salutem Reip. pertinere præsumuntur, de quibus
quæstionem habendam censet ille, ad quem cura ejus per-
tinet.

IV. Huc

IV. Huc spectat præceptum illud Decalogi dēnon
dicendo falso testimonio adversus proximum.
Unde consequenter deducitur, perhibendum esse ve-
rum testimonium. Quanquam ista non pari necessi-
tate obligant. Illud enim ex natura præceptorum prohi-
bentium semper omittendum est; hoc verò cum pruden-
tia conjunctum sit oportet, quæ utiliter in commodum &
emolumen tum proximi nostri omnia nostra verba &
testimonia dirigit. Quare id solum & omne verum, quod
adjuvandum proximum quoquo modo facere potest,
liberè semper & intrepidè dicendum est. Quod verò ad
incommoda ejus tantùm spectat, tum demum dicen-
dum, si necessitas rei ipsius, salus Reipublicæ, aut ii, quorum
fidei illa commissa est, DElque in primis gloria hoc fieri ju-
beant. Quò autem gravius in testando peccari potest (nam
per falsum testimonium innocens famâ spoliari, fortunis
exui, imo terrâ morte affici; contra is, qui nocens est, pro-
meritæ poenæ eximi potest magno Reip. malo) hoc dili-
gentius videndum est, ne, quod falsum esse scimus, tan-
quam verum affirmemus, neque negemus, quod verum
esse novimus.

V. Et verò cum in judiciis juratò testimonium dici
consueverit, ob reverentiam divini quoque Numinis, quod
sine magnâ religione & necessitate ne quidem nominandum
est, quisque, quæ vel vera vel falsa esse novit, procul odio
procul amore profiteri debet. Cum juratò dicenda est sen-
tentia, verba sunt Marci Tullii lib. III. de Offic. meminerit,
Deum se adhibere testem, id est (ut ego arbitror) mensem suam,
quâ nihil homini dedit ipse Deus divinus. Prius verissimè Ci-

E

cero;

tero; sed interpretationem, quam subiungit, non probo.
Vis jurisjurandi èò pertingit usque, ut ipsi Deo (non menti)
obstringatur fides, ejusque misericordia omnibusque be-
neficiis ad salutem animæ nostra concessis, si pejeratum sit,
renunciatur. Id quod ex jurisjurandi formula, quâ Deus
& testis advocatur & simul ab eo perfidiaz ultio poscitur, sa-
tis apertè liquet. Mens autem nostra nullum puniendi jus
habet, adeoque nec perjurii ultrix esse, nec eâ fini nisi stu-
tè invocari potest. Solus ille Universi hujus Gubernator
ut perjurium in suam injuriam & Majestatis suæ contem-
ptum interpretatur, ita vindex ejus est longè severissimus,
juxta illud: *Non dimittet Iehovâh impunitum eum, qui nomen*
ejus in vanum usurpaverit. Quod si illos poena manebit cer-
tissima, qui non quidem falsò; sed aut leviter & temerè, aut
subitò, inconsideratè, & sine necessitate augustum illud &
sanctissimum Numen nominârunt, quantam, vah! poenam
pendent, quos non est veritum nec pudicum tremendam il-
lam Majestatem testem ac vindicem veritatis in animas suas
falsò ac mendaciter invocare.

VI. Memorabile hujus exemplum comminorat ce-
lebris ICtus Joachimus à Beust Professor olim Academiz
VVitteberg. in Orat. de Legum & Ord. Polit. Dignitate,
Anno 1556, 16. Mart. habita. Quod quò minus hue ascri-
bamus, imperare nobis non possumus. Vidimus hic, in-
quit, manum dextram hominis perjuri, qua per annos octo &
viginti in sepulchro jacens, cum totum reliquum corpus multò
ante totum consumptum & in pulverem redactum fuisset, sola
putrescere non potuit, & erant digitiformati in modum jurantis,
cum aliter inflecterentur, in illam formam statim redibant. Ad-
huc habebant tendines & nervi, quibus pollex & proximi duo digiti
extenduntur integri, ceteris consumptis. Inventa haec fuit in
Ecclæ

Ecclesia Collegii Monachorum in ditione Cattorum, & cum sola manus hāc ditorum formā post tot annos effoderetur, non sine causa mortis sunt homines rei miraculo, & cæptum est queri, quis eo in loco sepultus fuisset: id verò superpositi lapidis inscriptio testabatur. Ibi cognitum est, Questorem illius Collegii Monachorum eo in loco ante tot annos sepultum fuisse, quem aliqui nōravant hominem levem ac profanum ad jurandum facilem & religionis contemptorem fuisse, eumq; propter sua & Collegii commoda sepe pejerāsse, & perjuriis suis multos defraudāsse. Quum vero Monachis fidus minister fuisse iudicaretur, eum ipsi honorem mortuo habitum, ut in Ecclesia in loco celesti sepeliretur, DEVUM tamen perjuriorum vindicem tandem hōc miraculō judicium sum ostendisse. Missa fuit hec manus unācum historia à Principe Cattorum ad Electorem Saxonia, à quo porrò huc ad reverendę memorię Doctorem Lutherum, & ceteros Theologos transmissa fuit, neg. sine horrore spectari poterat. Haec tenus ille pietate non minus quam doctrinā excellens ICtus. Ex quo intelligi debet, quanta vis sit jurisjurandi: de quo postea pleniū videro, nunc ad reliqua pergamus.

C A P V T VI.

- I. Quæ vel Superioribus, vel toti Societati periculum minantur, maturè & ultrò sunt indicanda.
- II. Non omne silentium laudandum, aut satis tutum esse, exemplo Thuani Iac. Aug. Fil. probatur.
- III. Quomodo silentium ad ratificationem facti alieni valeat.

T H E S I S I.

Quomodo quis in' iudicio interrogatus à Magistratu,

præcipue verò si ex præscripto Ejus juratò res adserenda sit, sinceris candidisque verbis sine tergiversatione aut circumscriptione verum fateri debeat, satis explicatum arbitror Capite superiore. Sequitur ut reliqua officiorum genera persequamur, quæ Superioribus à nobis jure naturæ debentur, quod quidem sermonem attinet, in quo nostra nunc tantum occupata est tractatio. Esto igitur præceptum tale: Quilibet ea, quæ vel Superioribus, vel toti societati periculum minari novit, neutiquam celare; sed maturè indicare debet, etiam injuratus & non quæsitus. Cum enim naturæ lege ad agendam vitam socialem destinati simus (quod etsi sæpe dictum est, dicendum tamen est sæpius) eadem lege sanctum esse meritò censetur, ut quisque quæ nocitura ei videantur pro virili sua abs ea avertat. Jam si scieris, occulte aliquem contra Rempublicam, aut contra eos, qui illam administrant, se commovere, improbè feceris, si id ceaveris. Enimvero, quicunque non impedit, quod & poterat & debebat impedire, causa moralis est ejus eventus, qui ex tali omissione oritur. Quò fit, ut Recip. perriciem indirectè voluisse jure censeatur, qui vel eam tantum reticeret, etiamsi ipse molitus non fuerit, nec approbaverit, nec quicquam præterea ad illam contulerit.

II. Atque etiam si fidem silentii dederis, si necessarij tuus sit, cuius officiis summoperè sis devinctus nequam tamen patieris, ut machinationibus ejus detrimenti quid capiat Respublica. Quid, si tyrannidem occupare (ut hæc Tullii verba è Lib. III. Offic. denuò mea faciam) si Patriam prodere conabitur Pater, filebitne filius, qui eum honore per legem naturæ obstrictus est? immo verò obsecrabit Patrem,

Patrem , ne id faciat : si nihil proficeret , accusabit , minabitur etiam . Ad extremum si ad perniciem Patria res spectabit , Patria salutem anteponet saluti Patris .

III. Cujus parum memor fuit Franciscus Augustus Galliae illius Phoenicis filius Thuanus , cui arctissima intercedebat amicitia cum Domino Henrico Desfiato magno Galliae Hipparcho . Is animo agitabat conjurationem , hosque nefarios conatus intimo suo aperiebat , rogitans , si se salvum vellet , ut vel adjutor sibi esset , vel saltem omnia clam haberet . Thuanus iterum iterumque Desfiatum ab hoc scelesto proposito seriò dehortabatur , ceterum suā quidem causā eum bono esse animo jubebat . Quamvis autem crebris & tantum non quotidianis dehortationibus nihil proficeret , maluit tamen tacitam conjurationis vocem continere , quam eum , qui cum conjunctissimè & amantisimè vivebat , in vita discrimen presentissimum adducere , amabilissimumque amicitiae nodum tollere . Sed paulò post totā re patefactā uterque capit is condemnatus , anno hujus seculi quadragesimō secundō , pridie Idū Septembr. Historiolam illam argutō hōc Epigrammate persecutus est Poëta aliquis :

Morte pari periēre duo , sed disp̄are causā;

Fit reus ille loquens , fit reus iste tacens .

Morte pari periēre duo : sed perdidit illum

Frac̄ta fides ; alium perdidit arcta fides .

Vtriusque supplicium graphicè descripsit florentissimum quondam Noribergæ decus G. P. Harsdörfferus in grossen Schauplatz jämmerlicher Mordgeschichte hist. Cii. Atque hoc ipsis exemplis falsitatis coar-

gui potest illud Simonidis, (quamquam à Valer. Max. Lib. VII.
c. II. Xenocrati ascribitur)

— Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum
Quod idem veteres Jambi pronunciant:
Expers periculi est premium silentii
Obfuit multis loquela, nemini silentium
Ahenea turris omnibus silentium est.

IV. Immo verò in ipsa etiam reticentia facinus inest,
quà perperam celamus, quæ honestè, utiliter & decorè reve-
lare debebamus. Neque verò justa, sed turpis fuit & minimè
accienda Thuani excusatio, cum contra Rempublicam se
amicī causa fecisse fassus fuit. Magna meritò est amicitiæ
Religio; non tamen ideo quis sibi concessum putet, amici
causâ in Rempublicam delinquere: magis enim Patriæ &
Reipubl. sumus obligati, quàm cuiquam privato. Egregiè
Tullius in Lælio, Nulla est, inquit, excusatio peccari, si amici
causâ peccaveris: nam cum conciliatrix amicitia virtutis opinio
fuerit, difficile est, amicitiam manere, se à virtute defeceris. Le-
ctu dignissima sunt, quæ porrò hanc in rem ibi differit
Cicero, sequutus in eo, ut in plerisque aliis ejus quidem
libelli Aristotelem nostrum, qui Cap. III. Lib. ix. Ethic. ad
Nicomachum præclarè docet, si alter amicorum non per-
maneat idem, sed improbus fiat & profligatus, ut monitis
ad sanitatem revocari nequeat, cum eo statim dirimendam
& præcidendam esse amicitiam: utsi, quòd nequaquam
huic ita immutato (in quo non sit τὸ φίλητον; nullum enim
φίλητον nisi bonum) sed priori virtutibus adhuc dedito fidem
amicitiæ dederimus.

V. Frustrà igitur amicitiæ necessitudinem, quàm pro-
ditori junctus fuerit, causatus est Thuanus, quin meminit
jurisjurandi, quō Regi, & Regno Galliæ fidem suam ad-
strinxer-

strinxerat. Certè quidem dum sceleratissimam conspiratiōnem celavit, & ad Patriæ perniciem manare passus fuit, ali-
quò eam modō voluisse creditur. Hujusmodi enim silen-
tium satis probabilem voluntatis conjecturam suppeditat.
Et quanquam factum proprium accessit nullum; non dubi-
tātim tamen asserere, solum istud silentium ad ratihabito-
nem facti alieni in ejusmodi casu valere. Pertinet huc
tritum illud, *Qui tacet, consentire videtur; de quō vid. l. 51. ff.*
locati. l. 3. C. de silentiar. & decur.

C A P V T VII.

I. De recta silendi ratione.

II. De Silentiaris.

T H E S I S . I.

Non omne silentium in laude ponendum esse, sed quod-
dam recte ratione adversari, neque adeò periculō etiam
vacare, ex iis, quæ breviter disputavimus, intelligi potest.
Ne verò loquacitatilaxare fibulam videamur, talem naturæ
legem subjungimus: *Quilibet cum loqui non o-
portet, tacere, arcana in primis cum ab aliis
tum à Superioribus sibi credita quam optimè
continere debet. Etsi enim propterea à natura datus
est nobis sermo, ut colloqui inter nos & exprimere dicendo
sensa possemus: cave tamen putes, ideo quidvis apud quem-
vis temere esse effutiendum. Id enim persæpe sine damno
& injuria ejus, qui aliquid celandum nobis commisit, fieri
nequit. Turpissimum autem est orationem optimo con-
filio à natura concessam in fraudem malitiamque conver-
tere. Quid? quod linguae temeritatem non tantum labiis,
sed & dentium excubiis in ore collocatis circumscriptis na-
tura,*

tura, obsepsitque. Atque ideo etiam, teste Zenone, aures
binas, linguam unam dedit, ut nempe duplo plus audiamus,
quam loquamur. An non & secreto, quod cuiquam com-
mittitur, addi solet communis: *hac nemini dixeris,*
sile, apud te sint ista? Id si receperis, turpe fuerit, silentii fidem
non etiā reapse praestare. Quod scis nescias, si sapis, ait rectissi-
mè Comicus. Plerumque etiam, ubi plurimum est loquen-
tia, ibi sapientiae parum. Hinc Metellus senex, instantे
quopiam, & efflagitante, quidnam post Arbachos in Mace-
donia debellatos facturus esset? Si, inquit, tunicam hujus
arcani conscientiam arbitrarer, evestigio exuerem, ac concre-
marem. Plutarch, in Apoth. Rom.

II. Præ cæteris verò hæc tacendi cura Silentiatibus in-
cumbit, de quibus Imperator Justinianus in C. de silent. lo-
quitur, qui scilicet arcanis Principum consiliis interesse sa-
lent. Hinc ante, quam ad illa admittantur, concebris verbis
jurare coguntur, daß Sie von demjenigen so sie bey solcher ih-
rer bedienung sehen / hören / und erfahren / dem Fürstl. Hause
zum nachtheil nichts offenbahren / sondern bey sich bis in ihre
Grube verschwiegen behalten wollen &c. Id, inquam, jureju-
randō, quō nullum vinculum, teste Cicerone, ad astringen-
dam fidem Majores nostri arctius esse voluerunt, promit-
tunt; quod quidem rei magnitudo omnino postulat: Ani-
ma siquidem consilii silentium, & nulla sunt meliora con-
silia, quam quæ ignoraverit adversarius antequam fierent,
ait Veget. l. III. c. xxvi. Et Valer. Max. Taciturnitas, inquit,
optimum atq. tutissimum rerū administrandarū vinculum, Lib.
II. c. XII. De quo in Politicis enucleatiūs dicendi locus est.

II. Cæterū quid, ad quos, quō locō, & tempore
sit vel tacendum vel loquendum, exquisitè definire nequi-
mus; haꝝ namq[ue] & similes circumstantiæ à Prudentia probè
sunt

sunt ponderandæ. Illud nostri tantum argumenti esse videtur, monere, os infrene coercendum esse, ne intempestivâ loquacitate nostrâ vel arcana propalentur, vel alii offendantur, & damno præter meritum mactentur. Præcepta vero illa haud prætereunda prorsum, quibus commoneamur, uti veloces quidem ad audiendum simus, ad credendum vero tardi, ad judicandum tardiores etiamnum, ad loquendum omnino vel tardissimi. Platonis oraculum est, uti verum loquamur duntaxat, sicubi profuturi sumus, aut sanè raceamus. Vid. Cæl. Rhodig. Lect. antiqu. Lib. XIII. c. v. Plura de hoc qui volet, Domini Guilielmi Ignatii Schütz ICti tractatum elegantem & doctum aeat de recta silendi ratione, ante decennium typis Francofurti divulgatum. Nos unicum hoc monitum sub finem hujus Cap. ἀθυεγγλάτης (quam vocem usurpat Euripides in Oreste) auribus instillamus: **Ni loqui prosit, nec tacere obsit, tace.**

C A P V T I I X .

- I. *Magistratus in judicando neutri parti plus justo faveat; sed procul odio procul gratia jus dicat.*
- II. *Quænam præterea Superiorum erga inferiores sint officia.*

T H E S I S I .

IVxta hæc, quæ sint Superioris erga inferiores in sermone officia, brevi considerabimus. Præcipuum autem hujusmodi est: Superior (siquidem is Magistratus sit) in dirimendis controversiis quod æquum iustumque videtur procul odio procul gratia

F statu-

statuat & decernat. Evidem ex more antiquissimo vel conchis marinis, vel duobus calculis, uno perforato & nigrō, alterō solidō & albo sententiam olim fuisse latam, non me fallit: hodiē tamen vel memoriter vel ex scripto jus dici consuevit, ut adē hōc locō non sit alienum, illā de re agere. Per legem autem naturae obligatum censemus Judicem ad id pronunciandum, quod iustum videtur, ut vel nomen subindicit. Ite namque ad Judicem (inquit Aristoteles) est ire ad ipsum jus ἡ γὰς δικαστὴς βάλεται εἴναι διον ἐμψυχὸν δίκαιον. Quorum verborum sententiam eleganter Cicero exprimit, quando in Legibus Magistratum esse scribit legem loquentem, legem vero mutum Magistratum. In hoc itaque ipsi enitendum, ut utrique parti & qualē sese præbeat, neutri vero plus justō faveat exemplo magni Alexandri, qui audiendis disceptantium controversiis autium alteram obstruere consuevit, cœu reo integrum servaret ac criminum exortem. Secus si fiat, maxima oritur inæqualitas, ex inæqualitate protinus exsurgunt querelæ, è querelis parata seditionum materia. Proinde etiam Plato in De Republica infundendum animis justitiae amorem monet, sine qua non solūm Respsed ne exiguis quidem hominum cœtus, nec domus parva constare queat. Sed de hoc alias.

II. Cætera Superioris erga inferiores officia in hoc versantur, ut nempe suis ea mandet, quæ naturâ suâ ad bene esse societatis universæ faciunt, vel quæ saltē eō facere existimat. Deinde, ut eosdem blandè & Paternè horretur, & officii ipsorum diligenter admoneat, mōrigerisque præmia pollicendo, laudando &c. calcet addat: Cæteros non illico importunè & superbè insectetur conviciis que proscindat: sed id primūm operam det, ut hos etiam adhortationibus in officio contineat, vel ad bonam frugem revo-

revocet. Quod si monitio blanda & Paterna non sufficiat,
tum verò necessum est, ut id fiat per acres, serias, & graves
eorum, qui à virtutis semita digressi sunt, objurgationes, &
severas comminationes. Quæ quidem nunc leviter tantum
attingimus; alia verò ejus generis etiam præterimus: nam
& nobis in sermone cum delectu servandus est modus.

A M A R U T A M E R P E G S M A R U T A

Præstantissimo Dn. Respondenti, Cognato suo
longè carissimo, de Jure, quō homini ho-
mo in sermone obligatus est
disputaturo

FELICITER!

Non, quos perenni ferre litamina
Voto Vacuna vel male desides
Soles juvat spectare, cingit
Pieriā sacra turba laurus
Sed quos avorum constia gloria;
Virtusq, & alti pectoris indoles
Culmenq, doctrinæ perenne
Ad similes stimulavit ausus,
Illos ministrâ dulcis honor manu,
Et delicato pectoris effuso
Extollit inconcussa virtus,
Et superis facit ire campis
Sic TE secundis Gratia brachis,
Altusq, curru Rumor eburneo
Ad astra porriger videndam
Attonita volucres juvenis

f.

αὐτοχεῖον

JOHANNES ALBRECHT. Hildes.

IULIA terrarum famâ diffusa per orbem
Doctorumque potens nobilitate locus ;
Fons ubi perpetuus stagnat Permesside lymphâ,
Aonidumque scatent & probitatis opes :
Versibus æternum veneror Te, **JULIA**, Numen,
Felix ingenii lima salusque mei.
Felices dico, mecum qui vivitis orbe
Isto, ubi Pierides cernitis ore loqui,
Qui nostram nitidis doctrinam moribus ornant,
Et faciunt cathedra scandere celsa SOPHUM,
Inter eos cum Tu, **TRESCHOVI**, dulcis amice,
Emineas, urgens sedulitate gravi
Sulpitios, Cajos, Mutios, Celsos, Labcones,
Cetera quæque habuit splendida fulcra Themis,
Quæs tamen excellens vitæ morumque magistra
Ethica consilio stravit in arte viam.
Indicat hoc specimen doctum sub **PRAESIDE** docto,
Quod jam doctorum ponis ad ora virûm.
Sit felix quod agis, favet successibus opto
Numinis æterni providus ille favor.
Moribus ut pergas, pergas studiisque probare
Spes, quas concepit cum Patriâ **GENITOR**.

Hic Doctissimo Dn. Respondenti
amico & commensali charissimo
gratulari voluit

Justus Zacharias Tollenius
Helmstadiensis.

() : o : ()

Hb 5320.

8°



56.

Retro ✓

VD 17 Dresd

B.I.G.



E
O HOMI-
SERMONE
ATVR

IO PRIMA

M

G.

IDE
UFFELMANN
ORDINAR. DN. PRÆ-
ORE SVO OMNI OB-
LTV ÆTERNVM
VENDO

uebitur

CVS TRESCHOH
ES.

MARTII.

Majori.

(2)

STADT,
ULLERI Acad. Typ.

DC LXVII.